

mas voluntati. Quo posito, sic argumentum retorquo: Nemo potest eligere media efficacia ad finem consequendum, quando hæc media sunt in ejus manu, & potestate, quin prius intendat efficaciter finem; atque merita nostra, quæ sunt media ad gloriam, sunt in manu, & potestate Dei: ergo Deus non potest intendere nobis merita efficacia ad gloriam, nisi prius intendat efficaciter gloriam. Exempla autem allata deficiunt in hoc, quod non sit in potestate proponentis præmium, aut mercedem, dare certanti industriam, & victoriam, & operario voluntatem laborandi, vires, & laborem.

Respondent 4. Deum velle merita non propter gloriam dandam electis, sed propter propriam suam gloriam; omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus. Sed contra: dicit Apostolus: *Reposita est mihi corona justitiæ*: ergo meritorum finis. Et Concil. Trid. reponit gloriam nostram inter fines justificationis nostræ, ut dictum est. Licet ergo gloria Dei sit generalis finis omnium suorum operum, sunt tamen alii fines particulares: vult enim, inquit S. Th. (*Hic q. 19. art. 5. o.*) ea, quæ sunt ad finem, ordinari ad finem; vult ergo hoc esse propter hoc, scilicet merita propter gloriam, tanquam media propter finem particularem.

Respondent 5. Verum esse assertum principium, scilicet finem prius intendi, quam media, in his, qui ordine quodam per plures actus volunt finem, & media; Deum autem ea velle simul uno simplici actu. Sed contra, hæc responsio non solvit, sed fugit difficultatem. Difficultas namque procedit in hypothesi quod Deus velit finem, & media secundum ordinem prioris, & posterioris, non ex parte sui actus, sed ex parte rerum voluntarum, quæ hunc ordinem prioris, & posterioris inter se habent. Ex quo habemus fundamentum concipiendi, Deum velle unum prius altero, ejusque ideò actum realiter simplicem, & unum esse virtualiter multiplicem. Quod si id negaretur in hac materia Prædestinationis, deberet negari in omnibus aliis, contra communem sensum Theologorum, & Patrum, imò, & Scripturæ, quæ in pluribus locis explicari non poterit absque hac virtuali distinctione ex parte actus divini; ut illud Judith 9. *In enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est, quod ipse voluisti.*

Respondent 6. sæpe laudatum principium esse verum, ubi agitur de mediis physicis, quæ propria virtute finem assequuntur; secus de mediis moralibus, ut sunt merita, quæ propria virtute finem non assequuntur, sed mediante alio, quem movent ad conferendum finem. Sed contra: sive media sint physica, vel moralia, hoc ipso quo sunt certo efficacia, sive propria sive aliena virtute, fieri non potest, quod efficaciter intendantur, nisi ex amore efficaci finis. Merita autem sunt media certo efficacia ad obtinendam gloriam, juxta definitionem prædestinationis datam ab Aug. & illud Apostoli: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex.*

Secunda ratio. Omne, quod efficaciter conducit ad salutem in Prædestinati, est effectus prædestinationis, ut dictum est in præced. concl. atque juxta modum dicendi Congruistarum, quem hic impugnamus, non omne, quod efficaciter conducit ad salutem, est in prædestinati effectus prædestinationis: ergo. Prob. Min. Consensus, suo bonus usus gratiæ in eorum systemate non est effectus prædestinationis: ergo. Prob. Ant. Iste consensus non est a Deo datus, & effectus, sed a nobis, ut latè probavimus dum de scientia media, & decretis efficacibus. Equidem, quod prædestinatus ponatur in his circumstantiis, in quibus prævisus est consensus gratiæ, est effectus prædestinationis; at, quod consentiat, non est effectus prædestinationis, quia non est effectus gratiæ; sed fetus propriæ voluntatis. Unde, quando dicunt prædestinationem ad gloriam fieri ex prævisis meritis gratiæ, intelligunt gratiæ concomitantis, & moraliter præventis tantum, non verò gratiæ verè, & propriè efficiētis, sique potiori titulo dicerentur merita liberi arbitrii, quam gratiæ. Et hæc ratio militat etiam contra illos, qui, retenta scientia media, docent prædestinationem ad gloriam antè prævisa merita.

Tertia ratio. Implicat, quod quis velit efficaciter ultimam dispositionem ad aliquam formam, & eo ipso non velit efficaciter ipsam formam; atque Deus vult gratis, & independentèr a meritis ultimam dispositionem ad gloriam, scilicet perseverantiam finalem: ergo vult gratis & independentèr a meritis gloriam. Major est per se nota. Min. probavimus præc. concl.

Respondent Tournelius, quod, licet homo non possit mereri de condigno perseverantiam finalem, possit tamen precibus, & bonis operibus eam impetrare, juxta illud Aug. de dono persever. cap. 6. *Suppliciter emereri potest.* Deus autem, inquit, non prædestinat ad gloriam, nisi postquam vidit futurum, ut justus donum perseverantiæ suis orationibus sit impetraturus. At, missis aliis responsionibus, se sibi conciliet, si potest, ipse Tournelius. Eadem enim q. 22. art. 2. concl. 4.

docet, Deum interdum pro suo beneplacito non orantibus perseverantiam concedere: Quomodo ergo verum est, quod non prædestinet, nisi quem prius viderit suis orationibus perseverantiam finalem impetraturum? Ità malè litigantium proprium est pugnantia loqui.

Possent etiam hic urgeri argumenta jam facta ex Aug. de prædestinatione parvulorum, & de prædestinatione humanitatis Christi ad unionem hypostaticam. Vide superiori concl.

## ARTICULUS V.

## Solvantur Objectiones contra utramque conclusionem.

Quia, ut dixi, affines sunt sententiæ Lessii, & Congruistarum, quas hucusquè impugnavimus; & in hoc præcipue conveniunt, quod prædestinatio ad gloriam sit ex prævisio bono usu gratiæ, non quem dat efficaciter vi sua gratia, sed quem emendicat a libero arbitrio, & in id probandum collimant omnia argumenta, quæ solent proponi contra prædestinationem gratuitam; nos autem id in utraque conclusionem negamus: consequenter argumenta, quæ militat contra unam conclusionem, militat pariter contra aliam, & ideò omnia hic indistinctè proponimus; sed ad eorum faciliorem solutionem

Nota 1. Prædestinationem posse considerari dupliciter: in ordine intentionis, & in ordine executionis: in ordine executionis iterum dupliciter: in ordine executionis præconceptæ, & volitæ, & in ordine executionis exercitæ. Etiam Deus 1. gratis intendit ab æterno dare aliquibus gloriam ut præmium per merita obtinendum, consequenter dare merita; & hic est ordo intentionis, quem nostri vocant decretum intentivum, quod sic exprimi potest: Volo hunc producere ad gloriam per modum præmii: atque ob id illi preparare media congrua. Deinde Deus ab æterno præconcepit, & decernit dare in tempore prius media, per quæ possit obtineri hæc gloria, ut præmium. Et hic est ordo executionis præconceptæ, & volitæ, quem nostri vocant decretum executivum, quodque sic exprimitur: Volo huic prius dare merita, & propter merita gloriam. Tandem in tempore confert merita, & propter merita gloriam; & hic terminatur ordo executionis exercitæ. Igitur merita intrant ordinem intentionis, non ut motiva aut finis, sed ut effectus; intrant autem ordinem executionis, ut motiva non per modum finis, sed ut media, seu dispositiones dignificantes personam, & redcentes eam aptam præmio. Et ne videamur gratis fingere hoc duplex decretum intentivum, & executivum,

Prob. 1. quia, ut omnibus pervium est, quod est primum in intentione, est ultimum in executione, ita ut nunquam finis haberetur, si sisteret in intentione, per quam prius intenditur, quam media: prius ergo debent in re poni media, ut obtineatur finis, & sic datur aliqua volitio, seu decretum prius in re ponendi media ad obtinendum finem, quia nihil fit in re, quod non sit prius mente præconceptum, & volitum, & hoc est decretum executivum. Unde in oeconomia actuum humanorum præter intentionem finis, & consequentem electionem mediolorum, ubi completur ordo intentionis, ponitur imperium de executione mediolorum suo tempore faciendâ: Sic, v. g. qui infirmatur, 1. intendit sanitatem ut finem, & consequenter media, deinde decernit apud se prius adhibere remedia, ut per illa sanitatem recuperet, ac tandem illa adhibet, & sanat.

2. Quia collatio exterior gloriæ gaudet bonitate justitiæ, & misericordiæ; est enim opus utriusque, ut patet ex Scripturis & Patribus: ergo datur duplex actus interior gaudens utraque illa honestate, a quo illam hauriat actus exterior; tota enim bonitas moralis actuum exteriorum est ab interioribus, ut dicitur de actibus humanis: iste autem duplex actus interior est decretum intentivum, a quo habetur honestas misericordiæ, & decretum executivum, a quo habetur honestas justitiæ. Unde Concil. Trid. Sess. 6. cap. 16. dicit: *Bene operantibus usque in finem...propenda est vita æterna, & tanquam gratia filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa* (En decretum intentivum antè merita) & *tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* (En decretum executivum merita supponens.) Et hæc est clavis solutionum omnium fermè argumentorum, quæ adversus prædestinationem gratuitam proponuntur, quod ut profundius intelligas,

Nota 2. duplicis generis esse media. Alia sunt physica; alia moralia, ut merita. In hoc conveniunt, quod in quantum media sint volita vi finis, & ex ejus amore appetantur, ita ut eorum appetibilitas ut sunt media derivetur ab appetibilitate finis. Sed differunt in ratione producendo ad finem, & ipsum assequendi. Nam media physica virtute propria, & physice ipsum assequuntur, v. gr. pharaca sanitatem. Media autem moralia, ut sunt process, & media

rita, cum solum moraliter influant, nec possint vi sua physice ponere finem, debant movere, & attrahere alicujus voluntatem, ut his in re positus finem inducat, quem ipsa vi sua non possunt physice inducere. Hoc tamen non est movere per modum finis, & cujus gratia, quia merita non se habent, ut finis præmii, sed e contra ut media, seu ut conditiones, & dispositiones requisite ad hoc, ut aliquis moveatur ad inducendum finem physice. Igitur, qui intendit finem per media moralia, v. gr. præmium per merita, dupliciter movetur in voluntate. 1. A bonitate præmii ut finis, ratione & vi cujus vult ponere merita ut media. 2. Movetur a mediis moralibus, seu meritis, ut ratione illorum, non quidem moventium ut finis, sed ut media, seu ut conditio requisita in executione, ut inducat physice in re finem, quem merita vi sua physica inducere non possunt; sique suppleat dando præmium, quod facerent ipsa media, si essent physica. Sed hoc totum, ut patet, est in ordine executionis. Et hinc tamen occasio hallucinationis in adversariis, qui, cum audiunt voluntatem moveri intuitu meritorum ad dandum finem, id putant intelligendum de fine amando in intentione, in quo errant. Accuratè ergo distinguenda sunt istæ locutiones: *Deus gratis, & antè merita vult dare gloriam*; Et: *Deus vult dare gloriam gratis sine meritis*. Prima significat intentionem dandi gloriam esse gratuitam, & independentem a meritis, quod est falsum. Nam, ut iterum repetam, Deus gratis vult dare, sed non vult dare gratis.

## §. I. Solvantur Objectiones ex Scriptura.

Obj. 1. cum Honor. Tournely illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete & paratum vobis Regnum a constitutione mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Ad Reprobos verò dicitur ibidem: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Ubi bona opera referuntur tanquam ratio, non solum collationis Regni, sed etiam preparationis, & destinationis ad illum, quasi diceret: paratum, & destinatum est vobis regnum, quia fecistis eleemosynam pauperibus; *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*: ergo. R. Si Tournelius sextum non mutasset, & verba immediate sequentia secundam propositionem non tacuisset, in eis aptam sui argumenti invenisset solutionem, seu potius nullum fuisset argumentum, quod indigeret solutione. Sic enim fert secunda sententia Domini: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Utraque sententia, tam Prædestinatorum, quam Reproborum, eodem tenore, ut vides, effertur; atque particula causalis enim in 2. propositione non refertur ad *Tò paratus*, sed ad *discedite*; alioquin sensus foret, infernum esse paratum diabolo, quia Reprobi non fecerunt eleemosynam, quod est absurdum: ergo similiter in 1. propositione eadem particula enim non refertur ad *Tò paratum*, sed ad *Tò possidete*, quasi diceret prædestinati: possidete regnum, quia fecistis opera misericordiæ; & Reprobis: discedite a me, quia non fecistis opera misericordiæ: quod totum spectat executionem. Sed & si daremur gratis, *Tò enim* referri ad *Tò paratum*, intelligeretur de preparatione in ordine executionis præconceptæ, & volitæ, non in ordine intentionis. Unde, cum instat Tournelius eodem modo dari regnum in tempore, quod est paratum ab æterno, verum est de preparatione æterna in ordine executionis, non in ordine intentionis: in ordine enim intentionis prius intenditur finis, deinde media; in ordine autem executionis prius intenduntur media, ex quibus sequitur assecutio finis; quia, ut dictum est, quod est primum in intentione, est ultimum in executione; & e contra.

Obj. 2. cum eodem Matth. 22. proponitur parabola de invitatis ad nuptias; ad quas quia multi venire noluerunt, concludit Dominus: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Ergo pauci electi, quia pauci voluerunt venire: ergo electio illa supponit bonam eorum voluntatem, qui per gratiam vocati venire voluerunt. R. N. Conseq. quæ nullatenus sequitur ex verbis Salvatoreis. Non ergo ideò pauci electi, quia pauci venire voluerunt; sed e contra pauci venire voluerunt, quia pauci sunt electi; ita ut accessus ad nuptias sit non causa, sed effectus electionis. Unde a posteriori, seu tanquam ab effectu, ex hoc quod pauci venerint, benè inferitur, quod pauci sint electi.

Obj. 3. cum eodem illud ad Rom. 8. *Quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Præsentia hic prævia est prædestinationi: *quos præcivit...prædestinavit*, id est, quos præcivit beneficio gratiæ filio suo conformes futuros, hos & prædestinavit. R. Apostolum loqui de præsentia fundata in ipso decreto, seu proposito Dei prædestinantis; quo sensu Aug. de dono persever. cap. 18. intelligit illud ad Rom. 11. *Non repulisti Deus plebem suam, quam præcivit, id est, prædestinavit.* Et juxta regulam ejusdem libr. cap. 19. *Quid nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractores legitur Dei præcivit.* Pars Prima.

cientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem intelligere prædestinationem; idque patet ex contextu Apostoli, immediate enim præmiserat: *Scimus, quantum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Nam, quos præcivit, & prædestinavit, Sensus ergo Apostoli est; quos præcivit secundum propositum, hoc est, quos prædilexit, & prædestinavit simpliciter ad salutem, & gloriam; hos prædestinavit conformes futuros beneficio gratiæ imagini filii sui per exercitium bonorum operum; ita ut ista conformitas sit effectus, & non motivum prædestinationis, ut interpretatur S. Th. ib. lect. 6. Interpretatio autem Tournely omnino invertit sensum Apostoli: non enim dicit Apostolus: quos præcivit beneficio gratiæ filio suo conformes futuros, ut dicit Tournelius; sed hos, quos præcivit, prædestinavit, ut essent beneficio gratiæ conformes filio suo; hoc est, quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad gratiam. Et ideò huic primordiali prædestinationi subjungit Apostolus tanquam effectus temporales a vocationem, justificationem, & glorificationem: *Quos autem prædestinavit*, inquit, *hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Posset etiam dici, *Tò præcivit*, & *Tò prædestinavit* ab Apostolo sumi pro eodem, & utrumque referri ad conformitatem cum Christo non in gratia, sed in gloria, proit expositum ex Aug. supra probatione 2. ex Scriptura; require ibi. Tandem dato, quod tamen omnino falsum est, Apostolum loqui de prædestinatione ad gloriam ex præsentia meritorum, intelligeretur de ordine executionis, & non intentionis.

Obj. 4. cum eodem 2. ad Tim. 2. *In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam.* Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, Vasa in honorem sunt prædestinati, ista prædestinatio supponit futuram sanctificationem; Si quis se emundaverit, Jac. 2. *Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes Regni, quod repromissit diligentibus se;* ubi regnum promittitur bene operantibus, & electio ad fidem est prior electione ad regnum. 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Quibus verbis innuitur, antè bona opera incertam, & quasi suspensam esse electionem nostram. Hinc facit illud Ap. 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar, &c.* Hæc omnia, & similia palam referri ad prædestinationem, non in ordine intentionis, sed in ordine executionis tam volitæ, quam exercitæ; in quo, ut diximus, merita ut media præcedunt gloriam ut finem, qui cum sit primum in intentione, est ultimum in executione, tam exercitæ, quam præconceptæ. Et ideò rectè admonentur prædestinati, ut benè agant, quia alioquin non essent prædestinati, cum non sint prædestinati nisi ut per bona opera, & merita gloriam consequantur. Vide resp. seq. Neque tamen intelligas merita, ad sensum Tournely & aliorum defensorum scientiæ mediæ, quæ procedant a consensu, quem voluntas ex innata libertate præbet gratiæ versatili, & concursui indifferenti; sed quæ procedant ex consensu libero, quem Deus ipse vi gratiæ suæ efficit, ut patet ex præcedentibus.

Obj. 5. Illud Eccl. 15. *Reliquit Deus hominem in manu consilii sui...ante illum, & vita, et mors, quod placuerit ei, dabitur illi.* Atque, si Deus antè prævisa merita de sorte hominis disposuisset, non essent antè hominem posita vita, & mors, sed aliquibus vita, aliis mors esset determinata, antequam de hoc deliberarent. Item 1. ad Tim. 2. dicitur: *Deus vult, omnes homines salvos fieri.* Ergo Deus, quantum in se est, vult omnibus æqualiter gloriam. Unde Sap. 3. dicitur, quod *æqualiter cura est ei de omnibus.* Et Act. 10. quod non sit *personarum acceptor.* Atque, si antè prævisa merita, & independentèr ab illis hunc præ alio diligit, curat, & prædestinat, non vult quantum in se est, omnium salutem, non est æqualiter illi cura de omnibus, & videtur personarum acceptor. Item juxta Scripturam electio, & prædestinatio non est absolutè nisi ad gratiam fidei, & præsentis justitiæ; ad gloriam autem conditionatè tantum, si gratiæ velint ex propria libertate perseveranter cooperari: ergo. Prob. Ant. Apostoli Petrus, & Paulus in suis Epist. vocant electos, & prædestinatos eos omnes, quos alloquuntur, omnes Philippenses, omnes Ephesos, omnes advenas Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, &c. Atque hi omnes non erant absolutè prædestinati ad gloriam, sed ad gratiam fidei tantum, ad gloriam autem conditionatè, si in ea gratia propria libertate perseverarent. Et ideò præfati Apostoli eos omnes movent, ne desint gratiæ Dei, ut cum tremore salutem suam operentur, & satagent per bona opera vocationem suam certam facerent ergo.

Hæc tria non favent systemati Congruistarum, quin potius contra ipsum militat. Dicunt enim, Deum gratuita voluntate, & independentèr a meritis aliquot præ aliis absolutè prædestina-

nasse ad gratiam reipsa salvantem, quatenus, postquam per scientiam mediam praevidit homines in certis circumstantiis positivos gratiae perseverantem consensus, in aliis non; decernit ex merito beneplacito aliquos praeter alios ponere in iis circumstantiis, in quibus praevidit eos bene gratia usuros; alios vero in illis circumstantiis, in quibus praevidit gratia male usuros. Ex quo inferri potest contra illos, sicut contra nos: 1. Sortem hominis esse magis a Deo, quam ab ipso homine determinatam. 2. Deum non habere aequalem curam, & aequalem voluntatem de salute omnium, & videri personarum acceptorem. 3. Praedestinationem electorum non tantum respicere gratiam fidei communem salvandis, & damnandis, sed gratiam reipsa salvantem. Igitur

R. Ad 1. hoc textu significari duntaxat, hominem esse liberi arbitrii, & salutem quoad executionem in ejus arbitrio esse positam; quod omnes admittunt: Deus enim praedestinando, neminem invitum compellit, aut volentem repellit, unde sub praedestinatione potest quisque velle, aut nolle vitam; sed quod quis libero utens arbitrio velit vitam, hoc esse a Deo in tempore donatum per gratiam, & ab aeterno preparatum, non negat Scriptura, sed passim asserit.

Ad 2. R. sic agnoscendam esse voluntatem generalem, & curam aequalem de omnium salute, ut tamen salvetur voluntas, & cura specialis de salute electorum, quippe quae secundum fidem negari non potest; est enim Deus salvator omnium, maxime fidelium. Primum admittit adversarii; at non satis videtur, quomodo salventur secundum. Dicendum itaque, Deum esse provisorem generalem circa omnes, & provisorem specialem circa electos. Ut Provisor generalis vult voluntatem antecedente salutem omnium, & eam aequaliter, seu, ut habet: textus Graecus, similiter curat, quatenus omnibus providet communia auxilia secundum cujusque capacitatem, & debitum, imo supra debitum. At ut Provisor particularis aliquos ex omnibus specialiter amore dilectos seligit, quibus specialia auxilia providet, ne communibus sua fragilitate deficiant. Neque ideo est acceptor personarum; acceptio enim personarum tantum habet locum in iis, quae ex justitia debentur; non vero in his, quae gratis dantur.

Ad 3. jam dixi supra, Apostolos vocare eos omnes, ad quos scribunt, electos, & praedestinos, non quod affirmant ut certum eos esse proprie praedestinos; sed quia id sperabant de ipsis, ex ipsorum vocatione ad fidem. Insuper, cum vocatio ad fidem sit donum Dei, id, quibus illud Deus praeter alios confert, possunt dici praedestinati, & electi late, & secundum quid: at praeter hanc imperfectam praedestinationem esse aliam specialem, qua Deus, non solum fidem, sed & in ea perseverantiam, & gloriam aliquibus praeter alios praedestinat, negari non potest secundum Scripturas, & Patres, ut patet ex omnibus testimoniis, quae hucusque protulimus, & maxime ex hoc brevi textu Matth. 20. *Multi sunt vocati, sed pauci vero electi*, scilicet ad perseverantiam, & gloriam.

Admonet autem Apostoli proprie praedestinos, ne desint gratiae, ut cum tremore operentur suam salutem, & satagent per bona opera certam suam vocationem facere, propter multas rationes: 1. Quia praedestinato in executione pendet ex meritis, & ex perseverantia, & cum non imponat necessitatem, non impedit absolute, quin electus possit cadere. 2. Quia electi sunt incerti, an sint de numero praedestinatorum. 3. Quia Deus est, qui praestat bona opera necessaria ad gloriam. Ex quibus rationibus semper est ipsis justa ratio timendi. Ultimam timoris causam tangit Apostolus loco cit. ad Philip. 2. *Cum metu*, inquit, & tremore vestram salutem operamini; Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. At vero e contra in sententia Molinae, & Lessii nulla est homini ratio timendi pro sua salute, cum juxta illos certus sit se habere, & se habiturum usque ad extremum vitae auxilia versatilia, & indifferentia suo permissa arbitrio, quae cum voluerit, etiam imminente morte, per suum consensum reddet efficaciam. Porro quantum haec doctrina sit incertivum peccatoribus procrastinandi poenitentiam; & tandem in impenitentia moriendi, nemo non videt.

§. II. Solvantur objectiones ex Patribus, Augustino antiquioribus.

O b j e c t i o n e s. 1. Tournelius, S. Prosperum in Ep. ad Aug. versus finem supponere tanquam rem certam, & exploratam, ante S. Aug. unam fere omnium veterum Patrum fuisse mentem ac sententiam, praedestinationem hominum ad gloriam fieri ex praevisis meritis gratiae, a qua sententia videbatur, quamquam falso, recessisse S. Aug. quod probare contendit ex his S. Prosperi verbis ad Aug. *Illud qualiter diluatur, quaesumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstras, quod, retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par inventi-*

*tur. Et una sententia, qua propositum, & praedestinationem Dei secundum praesentiam receperunt, ut ob hoc Deus alios a sa horis, alios contumelia fecerit, quia finem misericordiae praevidit, & sub ipso gratiae adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione, praedestinavit.* Et haec praedestinatio addit Tournelius, de qua loquitur S. Prosper, de sola gloria intelligi potest; certum quippe erat S. Prospero, veteres nusquam agnovisse, praedestinationem ad gratiam fieri ex praevisis meritis gratiae, siquidem notum est ante gratiam nullum ne quidem de congruo in homine meritum posse reperiri.

Si respondeas (quod verissimum est) S. Prosperum cit. verbis, non suam, sed semi-Pelagianorum sententiam, seu potius querelam ac calumniam referre, te statim hallucinationis, & oscitantiae redarguit Doctor Molinianus; idque invictis, si superis placeat, rationibus demonstrat. 1. Quia, inquit, prius S. Prosper jam retulerat semi-Pelag. querimonias; ad quid ergo eisdem querimonias rursus in fine suae Ep. repetere? 2. Quia Catholica omnino videtur sententia veterum, qualis a S. Prospero verbis cit. refertur: ergo plane distincta erat a semi-Pelag. doctrina: ergo suam ipsi doctrinam non exprimitur apud S. Prosperum verbis cit. 3. Denique S. Prosperum nomine suo loqui, aperte innunt haec verba: *Quaesumus, insipientiam nostram ferendo, demonstras.* Nam haec tibi videntur decretoaria amice Lector? At Manissa obsonium vincit: subjungit namque Tournelius: *Hinc vero postulatum, quod diligenter hic observandum, nihil respondit S. Augustinus: quo silentio declaravit extraneam hanc esse propositam suam quaestionem, nec sibi cum Pelagianis, & semi-Pelag. controversiam esse de illa praedestinatione ad gloriam ad gratiam.* Haec sane omnia iudicio nostro sunt, nedum hallucinationes, sed aperte falsitates. Igitur singularia resumit.

Et 1. ut concessum admitto, S. Prosperum verbis laudatis loqui de praedestinatione ad gloriam, & cum modo videtur ostendam ipsum his verbis referre sensum semi-Pelagianorum, probatum manebit, inter semi-Pelagianos, & Augustinum fuisse controversiam, non solum de praedestinatione ad gratiam, sed etiam de praedestinatione ad gloriam. Sed, ut obiter dicam, id videtur mirum in Tournelio, dum quaedam putat sibi favere in SS. Aug. Prospero, & Hilario, loquentur de praedestinatione ad gloriam; dum autem ipsi eosdem Patres opponimus, loquentur de praedestinatione ad gratiam, sique pro ejus nutu loquentur ad salvam.

2. Responsum datam, scilicet S. Prosperum versus citatis non suam, sed semi-Pelagianorum sententiam referre, esse verissimum. Probatur ex ipso S. Prosperi contextu. 1. S. Prosper exponit Augustino objectionem Massiliensium: *Multi, inquit, Servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuae scriptis, quae adversus Pelagianos Hereticos condidisti, contrarium putant Patrum opinionem, & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Et paulo infra: *Obstinationem suam vetustate defendunt: & ea, quae de Epistola Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinae gratiae praevientis electorum merita profertur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiantur, affirmant.* Ac tandem, multis interjectis, resumens eandem objectionem, quam prius ex parte semi-Pelagianorum proposuerat, petit ab Augustino illius solutionem: *Illud etiam, inquit, qualiter diluatur, quaesumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstras, quod, retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum, & praedestinationem Dei secundum praesentiam receperunt.* Quis non videt, S. Prosperum in his tribus textibus eundem referre sensum: in prioribus objectionem proponit, in posterioribus ejus solutionem petit. Et haec fuit ratio, cur eandem objectionem repeteret; quod non debuisset latere Tournelium, cum id obvis se prodidit. Sed etsi haec ratio repetendi non adesset, nullatenus esset insolitum eandem objectionem pluries in eodem scripto diversis terminis exponere; ipsemet Sanctus Prosper ante verba objecta jam bis eandem objectionem exposuerat, ut patet ex testibus citatis; inde ne inferret Tournelius S. Prosperum 2. loco proprio nomine loqui, ideoque jure petet, ad quid eandem querimoniam rursus repetere? At dixit S. Prosper: *Quaesumus insipientiam nostram ferendo, demonstras.* Quid inde? S. Prosperum suo nomine loqui. Fallor, si, non dico dialecticus, sed vel homo leviter sensatus admittit hanc consequentiam. S. Prosper objectioni semi-Pelagianorum solvendae se putans imparem, recurrit ad Aug. eam ipsi exponit, & humiliter fatendo suam ignorantiam rogat, ut demonstraret, quomodo sit diluenda, & solvenda. Ex quo palam sequitur, quod S. Prosper non credit objectioni, non eam referat ut propriam sententiam, nec proprio nomine loquatur; sed e contra quod eam reputet falsam, cum ejus solutionem requirat. Rem totam familiari exemplo accipe. Honorati Tournely dis-

cipulus in variis concertationibus cum Calvinistis circa praesentiam realem plures addidit objectiones, quarum quasdam diluciliores, praesertim petitas ex scriptis priorum Patrum, non satis expedite resolvit: recurrit ad Magistrum, qui totam concertationem seriem recitat; semel & iterum praecipuas objectiones, in quibus difficultatem patitur, exponit; ac tandem fatendo suam ignorantiam, ipsum precatur, ut ipsi demonstret, quomodo haec objectiones diluantur. Quis sane mentis inde inferat, hunc Tournely discipulum venenum objectionis Calvinianae ebibisse, ipsam ut suam sententiam proponere, & proprio nomine loqui; & non e contra ipsam reputare falsam, cujus solutionem querit? Ita in nostro casu.

Sed urget iterum Tournelius: Catholica omnino videtur sententia veterum, qualis a S. Prospero verbis cit. refertur. Ergo distincta erat a semi-Pelagiana doctrina. R. sententia, non veterum, sed quae a semi-Pelagianis affingebatur veteribus, quamque refert S. Prosper verbis cit. non esse magis Catholicam, quam semi-Pelagianorum; qualis erat omnino eadem.

Verum tandem morem geramus Tournelio, & juxta ejus monitum diligenter observemus, num revera huc S. Prospero postulationi nihil responderit Augustinus. Id fidenter & ut indubitatum affirmat Magister Parisiensis. Ergo e contra fidenter affirmo, non unam, sed quadruplicem responsum Aug. adhibuisse huc S. Prospero postulationi, & semi-Pelagianorum objectioni, ut a se noviter maculam, qua illi eum aspergebant, amoveret. Sint Judices, qui habent oculos, & legere sciunt & volent.

Primum responsum repetit August. ex consensione suae doctrinae cum Apostolo, quam consensione sexcentis, ut ita dicam, locis ex variis Apostoli Epistolis, & maxime ex Ep. ad Romanos probat totis libris de praedest. SS. & de dono persever.

Secundum responsum adfert ex precibus, quas Ecclesia ab exordio fudit: de quibus haec habet c. 23. de dono persever. *Ultimamardi corde & infirmi* (scilicet Massilienses, qui opponebant ex S. Prospero scriptis priorum Patrum) *qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas, vel eorum expositiones intelligere, sic audire in hac questione disputaciones nostras, ut magis inveniant orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiat hoc saeculum. Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret. Nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi. Nisi crederet, Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus, nisi propria voluntate, non tamen tenemus, nisi ipse in nobis operetur & velle. Ille itaque dicat, Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem praedestinationis hujus & gratiae, quae nunc contra nos haereticos cura diligentiori defenditur: ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audeat aliquando eam non orasse vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles.*

Tertium responsum desumit Aug. ex ipsis veterum Patrum testimoniis, quos sibi in eadem doctrina tradenda consentaneos exhibet: *Hoc scio*, inquit c. 19. laud. libri de dono persever. *numquam contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Patro tamen eis, qui haec de re sententias tractatorum requirunt, (intelligit semi-Pelagianos, obiectores apud Prosperum) Sanctos & in fide atque Doctrina Christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere.* Et, rogitatis eorum testimoniis, subjungit: *Sed his duobus, qui sufficere debuerunt, S. Gregorium (Nazianzenum) addamus & tertium, cujus refert etiam fragmentum.*

Prob. 4. responsum statuit Aug. duas regulas ad intelligentiam Patrum, qui vel minus accurate de praedestinatione scripserunt ante ortam haeresim Pelagianam, vel dixerunt eam esse nixam praesentiae. Quantum ad 1. primam regulam statuit lib. de praedest. SS. c. 14. ubi dicit, SS. Patres praedecessores suos ante exortam haeresim Pelagianam, aliis erroribus confutandis occupatos, quaestionem hanc de praedestinatione ex professio non tractasse, quia non erat necesse, haeresi contraria nondum exorta; sed solum obiter attingisse. Unde factum est, ut in hoc mysterio nondum satis discussio, ut contigit in mysterio Trinitatis ante exortam haeresim Arianam, expressiones minus accurate illis exciderent. Ob id tamen non minus catholice, quam posteriores sentiebant; siquidem, licet in verbis minus accurati, reipsa tamen principium posuerunt, ex quo, postea diligentius discussio, veritates catholice erute sunt, scilicet in negotio salutis torum ad Dei gratiam & misericordiam esse referendum. *Qui igitur opus est*, inquit S. Doct. loc. cit. *ut eorum scrutemur opuscula, quae, priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficultate ad solvendum quaestione versari: quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogenerentur? unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeun-*

*ter attingerent; immorarentur vero eis, quae adversus alios inimicos Ecclesiae disputabant.*

Quantum ad 2. alteram regulam statuit praesertim cap. 18. & 19. lib. de dono persever. scilicet eos Patres, qui dicunt praedestinationem inniti praesentiae, intelligendos esse de praesentia innixa decreto divino, & non voluntati creatae: talis autem praesentia involvitur in praedestinatione. *Praedestinatione*, inquit c. 10. de praedest. SS. *Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus.* Et de dono persever. c. 17. quod, si opera nostra bona non sint a Deo praedestinata, ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit: quod si & dantur & ea se daturum esse praescivit, profecto praedestinavit: Idque toto c. 18. prosequitur: & tandem c. 19. sic concludit: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legitimus Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere?*

Eat nunc Tournelius, & dicat, S. Augustinum nihil respondisse postulationi S. Prosperi. At dicit indubie, S. Aug. in his omnibus, quae ex ipso protulimus, loqui de praedestinatione ad gratiam, & non ad gloriam; quia circa gratiam tantum errabant semi-Pelagiani, quatenus dicebant eam dari merito alicujus affectus naturalis sine gratia. Sed contra 1. loquitur Aug. de praedestinatione, de qua loquitur S. Prosper, cui respondet; atque fatente & asserente Tournelio loquitur S. Prosper de praedestinatione ad gloriam: ergo. 2. Negari non potest, S. Aug. loqui saltem de praedestinatione, & ad gloriam & ad perseverantiam finalem, ut patet ex citatis & toto lib. de dono persever; atque praedestinatio ad perseverantiam finalem est inseparabiliter annexa praedestinationi ad gloriam, cujus est ultima dispositio; nec fieri potest, quod quis praedestinetur ad perseverantiam finalem, & non ad gloriam. 3. Loquitur Aug. de praedestinatione ad gratiam, non versatilem, non indifferentem, non pendulam a nutu liberi arbitrii, non expectantem ejus consensus; sed ad gratiam vi sua hujus consensus effectivum; ad gratiam, quae facit inclinabiliter, ut velimus & faciamus; quae avertit cor lapideum & inobediens, & dat cor carnum & obediens; quae avertas convertit voluntates, quae ex nolentibus facit volentes; quae a nullo corde duro respuit, quae hoc datur, ut cordis durtitias auferatur; quae tandem insuperabiliter movet voluntatem; haec omnes sunt phrasae Augustini. Atque praedestinatio gratuita ad hujusmodi gratiam penitus evertit systema Tournelianum, & necessario inferit praedestinationem gratuitam ad gloriam; nulla enim ratio reddi potest, cur Deus uni potius quam alteri conferat gratiam sic per se efficacem boni operis & perseverantiae, nisi quia gratuito hunc & non alium elegit ad gloriam.

Ad rationem Tournely, falsum est semi-Pelagianos in hoc tantum errasse, quod dicerent gratiam dari merito alicujus affectus naturalis sine gratia; imo an ita senserint semi-Pelagiani, disputant Theologi: sed & in hoc errabant, quod dicerent praedestinationem ad gloriam fieri ex praevisa perseverantia finali viribus arbitrii, sub adiutorio tamen gratiae versatilis, seu permissae libero arbitrio, ut refert Prosper verbis ab ipso Tournelio citatis initio hujus §. Post hanc generalem objectionem male structam ex verbis Prosperi descendit Doctor Molinianus ad particularia Patrum testimonia. Itaque

Obj. 2. S. Ambrosium, qui l. 5. de fide c. 6. ad ista Apostoli verba: *Quos praescivit & praedestinavit*; dicit: *Non enim ante praedestinavit, quim praescivit; sed quorum merita praescivit, eorum gratia praedestinavit.* S. Hieronymum Ep. 107. ad Hebidium c. 10. *Non salvat irrationabiliter & absque iudicii veritate, sed causis praecedentibus: quia alii non suscepunt filium Dei; alii autem recipere sua sponte voluerunt. Ex quo ostenditur, non Gentes eligi, sed hominum voluntatem. Chrysostomum hom. 8. in c. 25. Matth. Nam antequam nati sitis, quia sciebam vos hujusmodi futuros (scilicet Sanctos), haec vobis a me preparata sunt.*

Praemissa duplici responsione Augustini, de qua paulo ante; 1. priores Patres ante ortam haeresim pelagianam quaestionem hanc obiter tantum attingisse; adeoque non mirum, si quaedam eorum expressiones sint minus accurate, quamvis revera principium, ex quo praedestinatio gratuita eruitur, asseruerint: 2. ipsos loqui de praesentia fundata in decreto divino, & non in voluntate versatili, quae praesentia includitur in ipsa praedestinatione, ideoque in illis per praesentiam intelligendam esse praedestinationem. Hac, inquam, duplici responsione, R. 3. SS. PP. loqui de praedestinatione in ordine executionis praconceptae; quia sic spectata est notior, & ad commendanda bona opera aptior; non vero de praedestinatione in ordine intentionis. Hanc enim profundiorum, quam discutere Augustinum coegit haeresis pelagiana, vix aut ne vix attingerunt; quod patet ex ipsis semi-Pelagianis, qui, cum veterum Patrum monumenta diligentissime scrutati fuissent, conque- rantur apud Hilarium in Ep. ad Aug. ipsum noxam hanc quaestio-

tionem frustra movisse, quam nullus Patrum ante ipsum movisset, & sine qua gratiam populi utiliter prædicabant. Insistebant ergo SS. Patres prædestinationi spectata secundum ordinem executionis voluntæ; quia, ut dixi, sic spectata nobis est notior, & ad commendanda merita aptior. Quia etiam ratione multi, qui post hæresim pelagianam tractatus asceticos scripserunt, imò nos ipsi & qui nobiscum sentiunt, quamvis pro aris, & focis prædestinationem gratuitam in ordine intentionis defendamus, dam tamen e sacro pulpito populos ad bona opera hortamur, prædestinationem secundum ordinem executionis spectamus, & easdem expressiones adhibemus, quas adhibuerunt veteres Patres: quia prædestinatio sic spectata pendet a bonis operibus, nec nisi post illa & propter illa præmium confert, & conferre decernit: eoque sensu verè dicitur, neminem prædestinari ad gloriam, nisi propter prævisa merita.

Responsionem hanc, quamvis verissimam & fundatissimam Honor. Tournely, pro sua in nos modestia, vocat *Absurdam*. At ipsi ultrò condonamus; quia peregrinus in schola Thomistica non novit distinguere inter decretum æternum prædestinationis exequenda, & ipsam ejus executionem temporalem; dumque loquimur de prædestinatione secundum ordinem executionis, statim putat nos loqui de ipsa ejus executione temporali: quæ si illi licuisset distinguere, sicut ipsi Scholarum nostrarum Tyrones distinguunt, non *Absurditatem*, sed veritatem in responsione reperisset.

### §. III. Solvuntur Objectiones ex Aug. & ejus Discipulis.

Agnoscat Tournelius, insignes Jesuitas, Petavium, Maldonatum, & alios candidè fateri S. Aug. docere prædestinationem ad gloriam esse gratuitam, & ante merita gratiæ prævisæ; alios verò contendere, S. Aug. de una disputasse prædestinatione ad gratiam adversus Pelagianos & semi-Pelagianos, non autem de prædestinatione ad gloriam, nisi obiter & quasi aliud agendo. Quodvis dicatur, non juvat causam, quam hic suscipit Tournelius; ipse enim nihil non tenet, contras undequaque Aug. testimonium, ut probet S. Doctorem aperte & constanter docuisse prædestinationem ad gloriam esse ex prævisis meritis: quamvis prius dixerit, ut vidimus §. præc. hanc questionem esse extraneam proposito Aug. nec ipsi cum Pelagianis & semi-Pelag. fuisse controversiam de prædestinatione ad gloriam ex prævisis meritis gratiæ, sed tantum de prædestinatione ad gratiam.

Obijcit itaque 1. Tournelius Aug. præscientiam semper præponit prædestinationi; aut eam cum illa sic conjungit, ut etiam ipsius definitionem ingrediatur: imò & ipsa prædestinatio simpliciter præscientia ab ipso denominatur: ergo R. Falsissimum 1. partu Antecedentis palam demonstrant; quæ mox recitavimus in assignanda 2. regula tradita ab Aug. pro intelligentia Patrum, ubi dicit, præscientiam fundari in prædestinatione, prædestinationem esse causam præscientiæ, & per præscientiam apud SS. Patres intelligi debere prædestinationem. Quod autem Aug. sæpè conjungat præscientiam cum prædestinatione, non favet, sed nocet Tournelio. Non enim loquitur Aug. de scientia media, seu de scientia inmixta voluntati creatæ, a qua expectet & repetat suum objectum; sed de scientia fundata in ipso divino decreto, quæ est effectrix bonæ voluntatis, quæque proinde includitur in prædestinatione: & ea ratione Aug. vocat quandoque prædestinationem præscientiam, quandoque præscientiam prædestinationem.

Obj. 2. Tourn. S. Aug. l. de dono persever. c. 17. 19. 21. 22. docet, non magis per prædestinationem dari libertatem, quam per præscientiam: ergo supponit præscientiam esse præviam prædestinationi. R. N. Conseq. S. Aug. argumentatur a pari contra semi-Pelag. qui dicebant ex prædestinatione periri libertatem: sicut nos arguimus contra Tournelium & alios Molinistas, qui idem argumentum nobis obijcunt. Dicit ergo S. Doctor, quod, sicut præscientia, quam admittebant semi-Pelagianus, quamvis sit certa, & infallibilis, non tollit libertatem, ita nec prædestinatio, licet sit certa & infallibilis, eam non tollit. Undè argumentum Tournelii magis ipsi nocet, quam favet. Quod obijcit 3. loco, redibit infra.

Obj. 3. Tourn. S. Aug. l. 2. de peccat. meritis & remis. c. 29. dicit: *Idem ipse Dominus noster hanc suam medellam* (scilicet remissionem peccatorum) *nullis humani generis temporibus ante ultimum futurum iudicium denegavit, quos per certissimam præscientiam & justissimam beneficentiam secum regnatos in vitam prædestinavit æternam.* Duo hic, inquit Doctor Sorbonicus, conjungit Augustinum ad rem nostram decretoria, præscientiam, & justissimam beneficentiam, secundum quam Deus nonnullis ad vitam æternam prædestinavit. Observat tamen, postremos editores operum S. Aug. loco *justissimam legere futuram*; quæ correctio, cum non sit probabile esse factam absque fundamento, multum minuit efficaciam argumenti decretorii. Sed dato legendum esse justissimam, R. hæc duo de-

cretoria uno statu dissipari, dicendo Aug. loqui de prædestinatione in ordine executionis præconcepæ, juxta quem Deus post & propter merita prævisa, non per scientiam mediam, sed per scientiam horum meritorum effectricem, destinat ad gloriam ut coronam justitiæ, sicut per præscientiam & justissimam beneficentiam.

Obj. 4. Tourn. S. Aug. serm. 7. de verbis Dom. c. 10. dicit: *Quos voluit Deus, hos elegit. Eligunt autem, sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam & secundum illorum justitiam.* Et postea Deum sic loquentem inducit: *ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se. R. primis laudati textus verbis non juvari, sed everti sententiam Tourn. cum Aug. nullam aliam rationem adferat, cum Deus aliquos elegerit, quam ipsius voluntatem: Quos voluit, hos elegit. Per sequentia autem verba docet Aug. quod non perpetuo inculcamus, duplex distingui virtualiter in Deo decretum prædestinationis, alterum intentivum, alterum executivum: *Elegit secundum suam gratiam*; Et decretum intentivum, præveniens merita: *Et secundum illorum justitiam*; Et decretum executivum supponens merita. De quo decreto intelligenda sunt ultima verba laudata.*

Obj. 5. Tourn. S. Aug. Pelagianis contententibus, prædestinationem ad gloriam fieri ex meritis, assentiri non recusat, modo agnoscat merita illa per gratiam comparari. *Si merita nostra, inquit l. de gr. & lib. arb. sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse agnoscerent, non est reprobanda ista sententia.* R. Sic & nos dicimus & sentimus cum Aug. Si Tournelius agnosceret merita nostra esse ex omni parte Dona Dei, ejus sententia non esset reprobanda ut contraria Scripturis & Patribus, sed tantum ut minus consona rationi. At verò juxta systema scientiæ mediæ, cujus Tourn. est perpetuus fautor & adulator, contendimus id, quod præcipuum est in meritis nostris, nempe consensum voluntatis in bonum non esse donum Dei, ut alias latè probavimus.

Obj. 6. Tourn. S. Aug. l. 1. ad Simpl. q. 2. expendens verba illa Apost. ad Rom. 9. *ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, major serviet minori*; inter alia dicit: *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, idèd manet propositum justificationis; sed quia illud manet ut justificet credentes, idèd invenit opera, quæ jam eligat ad regnum calorum.* Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificationis; nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo, qui rejicitur: unde quod dictum est, *quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi præscientia.* Ex quibus apparet evidentè juxta Aug. Prædestinationem ad gratiam esse gratuitam, prædestinationem verò ad gloriam esse electionem meritorum. Hoc argumentum, quasi esset invictum, plurimum extollunt adversarii.

Sed in primis illud videtur præposterum, ut jam alibi observavi, adversarios continet recurrere ad lib. Aug. Simplificatio in scriptis, quos adhuc juvenis & ante ortum Pelagii hæresim elaboravit; presentem cum insignis Auctores, inter quos Bellarminus, velit id, quod opponitur, fuisse in sequentibus operibus retractatum: sed esto, non voluit alii, nihil absolute esse retractatum, saltem negari non potest, quod, cum tunc Aug. nondum discussisset altitudinem istarum Questionum, neque multa invenerat, quæ postea majori diligentiâ investigavit, & reperit, plures in his prioribus libris expressiones irrepserint minus accuratæ circa præsentem materiam; quod non parum detrahit illorum auctoritati. Confer, quæ ulterius hæc de re dixi, dum de Scientia mediæ §. 9. obj. 2. Inst. 1. His præmissis.

Quidam respondent, S. Aug. facere ibi questionem de nomine *Electio*nis tantum; & quamvis admitat prædestinationem gratuitam, nolle tamen eam posse dici *Electio*nem, eo quod putaret ad *Electio*nem requiri differentiam inter eligendum, & reprobandum, cujus tamen contrarium postea agnovit & tenuit, scilicet, lib. de præd. SS. c. 17. ubi ait: *Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant.* Et Ep. 105. ad Sixtum: *Electio gratiæ non invenit eligendos, sed facit.* Quod aperte opponitur illi alteri propositioni ex lib. ad Simpl. *Nemo eligitur, nisi distans ab eo qui rejicitur.* Respondent alii, S. Aug. hæc dixisse, non asserendo, sed inquirendo, & disputando, quod eruitur 1. ex illa expressione: *non video, quomodo dictum sit, quia elegit nos, nisi præscientia*; id est, non satis exploratum habeo, quod est dubitantis & inquirentis. 2. Quia quod prius videbatur asseruisse, nempe electionem Jacob fuisse ex præscientia operum, postea refellit deducendo ad inconveniens: *Si concesseris, inquit, potuisse quemdam vel approbare ex eo quod Deus futurum esse præsciebat, conficitur cum Jacob scilicet potuisse etiam ex operibus approbare, quæ in illo Deus futura esse præsciebat, quod tamen est contra Apostolum*: ergo nec in isto opere constanter asseruit, electionem esse ex præscientia operum. His Responsionibus in sua probabilitate relicta.

R.

R. Et ut pote verè, S. Aug. illic non loqui de prædestinatione ad gloriam in ordine intentionis, sed in ordine executionis. Quod ut manifestum fiat, nota, quod jam alibi observavi, duplicem distingui electionem; unam propriè dictam, scilicet electionem mediorem; alteram minus propriè dictam, scilicet electionem personarum ad finem. Prima respicit executionem, ut patet. Secunda respicit intentionem, quia persona est finis, cui intenditur finis qui, seu cujus gratia. Augustinum verò loqui non de electione personarum ad finem cujus gratia, sed de electione, seu volitione mediorem ad finem, patet ex ejus contextu. Nam dicit 1. quod non idèd Deus habeat propositum justificandi seu dandi gratiam justificantem, quia invenit bona opera quæ eligat sed e contra, quod idèd invenit bona, quæ eligat, quia habet propositum dandi gratiam justificantem; non enim opera sunt merita, & media eligibilia ad Regnum nisi ut informata gratia justificante: unde bene subdit, quod electio, scilicet operum, seu meritorum, non præcedat justificationem, sed e contra, quod justificatio præcedat electionem operum. Addit; nemo eligitur, scilicet ratione operum, nisi distans ab eo, qui rejicitur, quia electio personæ ad regnum ratione operum idem est ac electio operum ad regnum; non enim opera sine persona eliguntur. Verissimum est autem, quod in electione operum, seu personæ ratione operum, quæ, ut dictum est, pertinet ad ordinem executionis, nemo eligitur nisi distans, & distinctus ab eo, qui rejicitur. Et hinc rectè concludit, quod illi, quod dictum est, *quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, non sit dictum nisi præscientia, in qua hæc electio executiva mediorem fuit ab æterno disposita, & ordinata.

Augustino, inquit Tournelius, jungendi sunt fideissimi ejus discipuli, Prosper, Fulgentius, & S. Thom. Undè obijcit 7. ex S. Prospero Resp. 3. ad object. Gallorum, quod Reperi idèd prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævisione præcisi sunt. Et quedam alia similia. R. S. Prosperum hic, & alibi nihil aliud significare, quam quod Reperi idèd prædestinati non sint, quia Deus præsciens, & permittere volens eorum prævaricationem, noluit eos prius eripere ex hac vita: *Quod autem, subdit immediate S. Prosper, & quod tacet Tournelius, illos non eo tempore, quo in fide recta, & bonis moribus erant, ab hac vita abstulit, ad ocula ejus judicis, quæ tamen nunquam sunt injusta, referendum est.*

Obj. 8. ex S. Fulgentio l. 1. ad Monim. c. 24. *Prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præcivit voluntatis malæ vitio discessuros, & prædestinavit ad Regnum, quos ad se præcivit misericordias præventivum auxilio redituros, & in se misericordias subsequentis auxilio esse mansuros.* R. Nos non negare Deum præscire eos, quos prædestinavit, ad se redituros, & in se mansuros, sed negamus idèd prædestinasse, quia præcivit ad se redituros. Neque hoc dicit S. Fulgentius. Et nota hanc Responsionem, quia multi Patres eodem modo loquuntur, & eodem sensu sunt intelligendi. Vel intellige de prædestinatione in ordine executionis, non intentionis.

Quantum ad S. Thom. planè otiosum videtur de ejus mente disputare, eam, & conclusio nostra, & ratio ejus fundamentalis sint ex eo depromptæ hic art. 4. o. Ubi etiam addit: *Prædestinatio* (scilicet formaliter sumpta pro actu imperii circa mediâ) *secundum rationem præsuppositi electionem*; & *Prædestinatio* aliorum in saltem æternam præsuppositi secundum rationem, quod Deus velit illorum salutem. Quod autem respondet Tournelius, S. Thom. illic loqui de voluntate salutis, seu de prædestinatione adequata ad gratiam, & gloriam, falsissimum est. Nam S. Doctor in hoc art. ex professò inquit de electione ad gloriam ut ad finem, & de prædestinatione ad gratiam seu ad merita tantum ad media; & dicit, prædestinationem ad merita præsupponere electionem ad gloriam, idque probat ea ratione invicta, quam satis fuscè supra exposuimus, scilicet quod non præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vide ipse lector textum, cuique obvius est, & ut mitius dicam, mirare Tournely aberrationes. Verumtamen ipsum audiamus congerentem testimonia D. Thom. quibus tamen non ita fidei, ut audeat asserere S. Doctorem nobis adversari, sed videtur, inquit. Itaque

Opponit 1. S. Thomas in Ep. ad Rom. c. 8. lect. 6. dicit: *Circa ordinem præscientiæ, & prædestinationis dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum, & malorum est ratio prædestinationis, & reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus prædestinet aliquos, qui præcivit eos bene operaturos, et in Christum credituros. Et hoc quidem rationabiliter dicitur, si prædestinatio respiceret tantum gloriam, quæ datur meritis; sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum. ponere autem, quod aliquid ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud, quam ponere gratiam dari ex meritis.* Manifestè hic distinguit S. Doctor prædestinationem adequatam ab inadæquata, quæ est

tantum ad gloriam, & istam ex prævisis bonis operibus fieri, ait rationabiliter posse dici. 2. In c. 1. Ep. ad Ephes. Lect. 1. *Potest, inquit, esse aliquid creatum ratio voluntatis divine ex parte voliti, sicut dum vult coronare Petrum, quia legitime certavit.* 3. In 1. sentent. d. 41. art. 3. ad 5. *Dicendum, inquit, quod in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera non quasi causam voluntatis, sed sicut causam meritoriam gloriæ.* 4. 1. p. quæst. 23. art. 5. o. *Obiter de prædestinatione ad gloriam sic loquitur: Dicendum est, quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter, uno modo in particulari: & sic nihil prohibet, aliquid effectum prædestinationis esse causam, & rationem alterius. Sicut, si dicimus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis.*

R. ad 1. idèd adstrui potius, quam destrui prædestinationem gratuitam ad gloriam. Equidè verissimè dixit S. Thom. quod, si prædestinatio esset tantum ad gloriam, & non ad merita, ita ut supponeret ex parte nostra aliquid necessarium ad gloriam, quod non daret, sive bonum opus, ut volebat Pelagius, sive initium boni operis, ut dicebant semi-Pelagianus, sive bonum usum gratiæ, ut censent Molinistæ; tunc non esset gratuita, quia deberet supponere, & prævidere istud necessarium ex parte nostra non defuturum. Ad supposito quod prædestinatio non sit tantum ad gloriam, sed etiam ad merita, ita ut nihil sit in nobis conducens ad gloriam, quod non sit donatum a Deo, & effectus prædestinationis, ut hic, & alibi constanter docet S. Thom. sequitur, quod prædestinatio ad gloriam non sit ex prævisis meritis; sed e contra, quod hæc merita sint effectus prædestinationis ad gloriam, quatenus nemo confert merita ad finem, nisi ex intentione finis. Ad 2. & 3. R. ibi sermonem esse de prædestinatione in ordine executionis, ad 4. R. idèd Tournelium non juvari, sed potius jugulari, si textus integer referatur, & quæ cautè resecurit, restituatur. Dicit ergo S. Doctor: *Effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter, uno modo in particulari: & sic nihil prohibet, aliquid effectum prædestinationis esse causam, & rationem alterius*: hic sistit Tournelius. Prosequitur S. Thom. *Posteriori quidem prioris secundum rationem causæ finalis, prioris verò posterioris secundum rationem causæ meritorie, quæ reducitur ad dispositionem materię.* Porro certum est, posteriori, & ultimum effectum prædestinationis esse gloriam, & primum esse gratium. Est ergo gloria causa finalis gratiæ, & gratia est causa dispositiva subjecti, seu medium ad gloriam. Dixerat autem art. præced. & omnibus notum est, finem prius intendi quam medium, & non intendi propter meritum, sed merito propter finem: unde subdit: *Sicut, si dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam, ex meritis.* Non dicit: *præordinavit ex meritis, seu propter merita, sed se daturum ex meritis, seu per viam meriti, ita ut Tò ex meritis afficiat Tò dare, & non Tò præordinare, sicut merita ingrediuntur hanc præordinationem, non ut motivum, sed ut effectus: Et quod præordinavit se daturum alicui gratiam, ut meretur gloriam*: scilicet, posita secundum ordinem intentionis gratuita præordinatione dandi gloriam ut coronam per viam meriti, præordinat secundum ordinem executionis dare merita, quæ subiectum dignificent, & disponant ad obtinendam illam gloriam ut coronam, & præmium; sicut a primo ad ultimum juxta S. Thom. in ipso textu objecto prior est in Deo electio ad gloriam, quam prædestinatio ad merita, consequenter electio ad gloriam in se non est ex prævisis meritis, sed merè gratuita.

Occurrit hic observandum, quod, cum opponitur Tournelio auctoritas S. Thom. ex hoc art. 5. respondeat, S. Doctorem tam in hoc art. quam in tota quæst. 23. tractare de prædestinatione adequata ad gratiam, & gloriam, & non de prædestinatione inadæquata ad solam gloriam, de qua hic est questio, & quæ idèd idèd opponuntur ad rem præsentem non facere. Sed cum idèd putat aliquid sibi facere, tunc juxta ipsum S. Thom. de prædestinatione inadæquata ad gloriam obiter tractat. Quidni pari jure ego dicam, S. Thomam, dum illud solemne pronuntiat eodem art. 5. ad 3. *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobovit, non habet rationem nisi divinam voluntatem*; etiam obiter tractare de prædestinatione inadæquata ad gloriam? Hoc non negat Tournelius; sed respondet, S. Thom. loqui de prædestinatione, & reprobatione comparata, unum nempe præ alio, & ita concedit non habere rationem nisi divinam voluntatem. At hoc ipsum est, quod dicimus, & intendimus; non enim est questio tantum, cur Deus aliquos in genere eligat ad gloriam, & aliquos non eligat; sed est etiam questio, cur hunc potius, quam illum, cur Petrum potius, quam Judam eligat ad gloriam, an quia prævidit merita futura in Petro, quæ non prævidit in Juda; an e contra sit ex sola, & gratuita voluntate. Hoc ultimum asserit S. Thom. hoc concedit Tournelius. Quid ultra querimus?

## §. IV. Solvuntur objectiones a ratione.

**O**bj. 1. Tournellius: Deus intendit prædestinatam gloriam ut coronam, & præmium; atqui corona, & præmium non potest intendi nisi propter merita: ergo. Prob. Min. Corona, & præmium dicitur necessario ordinem ad merita non minus, quam Pater ad Filium: ergo. R. Data Majori, N. Min. Deus enim voluntate antecedente intendit omnibus gloriam ut coronam, etenim omnes ordinat ad gloriam per merita obtinendam; & tamen, fatentibus etiam adversariis, eam non intendit propter merita prævisa. Ad probat. D. Ant. corona, & præmium dicitur necessario ordinem ad merita ut ad effectum vel motivum, C. semper ut ad motivum, N. in ordine intentionis dicitur ordinem ad meritum ut ad effectum, quia Deus intendit gloriam ut obtinendam per merita, & quia si vult finem, vult merita: in ordine autem executionis dicitur ordinem ad merita ut moventia: unde in ordine intentionis merita sunt causata, in ordine executionis sunt causantia; quod enim primum est in intentione, est ultimum in executione; & quod est ultimum in intentione, est primum in executione. Sic iudex agonis ex mera benevolentia vult nisi athletarum præ altero præmium propositum certantibus, & ideo vult, ut certet, & in quantum est in se, ut vincat, palam est quod certamen, seu victoria non sit causa, cui ipsi primo intendat præmium, sed e contra ex eo quod intendat ipsi præmium, vult quod certet, & vincat, sicut certamen ingreditur hanc primam intentionem ut eius effectus tantum, & non ut eius motivum, quamvis tamen non velit conferre in re præmium nisi post partam victoriam, & propter victoriam. Ita Deus gratuita bonitate vult quibusdam præ aliis gloriam per merita consequendam, & inde vult, & præparat merita, quibus eam consequantur, juxta illud Prosperi libr. 2. de vocat. Gent. *Deus his, quos elegit sine meritis, dat unde ornantur ex meritis*. Merita, ut patet, sunt effectus primæ intentionis, & motivum executionis. Et tamen disparitas, quod, cum iudex non det vires, industriam, & viscosiam, non possit nisi inefficaciter velle præmium ante prævisam victoriam; at Deus, cum ipse conferat merita, potest velle efficaciter gloriam ante illorum prævisionem.

Inst. quod intenditur ut corona, & præmium, intenditur ut debitum justitiæ: ergo supponit merita ut motiva, & causantia. R. D. Ant. quod intenditur ut corona, & præmium, intenditur ut debitum justitiæ exercendæ in ordine executionis, C. Ant. ut debitum justitiæ exercite in illo ordine intentionis, N. Ant. Deus enim, ut jam diximus, gratis vult dare gloriam, sed non vult dare gratis; seu independentem a meritis vult dare, sed non vult dare sine meritis. Sic Rex gratis ex mera liberalitate proponit dare præmium victori in certamine, non tamen vult dare gratis, sed propter victoriam; & ibi exercetur justitia, non verò in prima intentione, quæ est mere gratuita.

Urgebis: Sic se habet præmium ad meritum, sicut poena ad culpam; atqui Deus non vult poenam, nisi supposita culpa: ergo nec præmium, nisi suppositis meritis. R. D. Maj. Sic se habet præmium ad meritum, sicut poena ad culpam, & præmium, & poena eodem modo se habent in ratione boni, N. Maj. & diverso modo se habent in ratione boni, C. Maj. poena enim ut poena simpliciter non est bona, sed tantum ex suppositione culpæ, quæ cum non sit etiam bona, non potest esse a Deo volita. Unde repugnat, quod 1. Deus velit poenam, & propter illam velit culpam. At & præmium, & meritum sunt simpliciter bonum, utrumque est a Deo; cum autem præmium sit finis, & majus bonum, Deus 1. illud intendit, deinde merita ut media ad illud.

Si petas: an non possit saltem Deus primam intendere merita, deinde propter merita intendere gloriam: R. non posse, supposito quod velit merita ut media ad gloriam tamquam ad finem; quia medium ut tale non est volibile nisi ex intentione, & amore finis: unde, si intenderet meritum ut medium ante finem, esset medium, & non esset, quod est contradictorium.

**O**bj. 2. Tournellius: Deus eo modo res ab æterno præordinat, quo modo eas facit in tempore; atqui confert in tempore gloriam prædestinatam propter merita: ergo ab æterno præordinavit conferre propter merita. R. Concedo totum, Reverendissime enim Deus ab æterno præordinavit conferre in tempore gloriam propter merita, non tamen propter merita præordinavit, sed gratuita voluntate. Claritatis gratia, D. Maj. Deus eo modo res ab æterno præordinat, quo modo eas facit in tempore, si modus in utroque præordinat, quo modo eas facit in tempore, si sensus sit, Deum eodem modo velle ab æterno res exequi in tempore, quo modo eas exequitur, C. Maj. si modus in 1. membro afficiat ordinem intentionis, & in 2. ordinem executionis, ita ut sensus sit, res eundem ordinem habere in intentione Dei & in executione, & quod primum est in executione, sit etiam primum in intentione, N. Maj. id enim est impossibile, cum in

omni agente id, quod primum est in executione, necessario sit ultimum in intentione; & e contra quod est primum in intentione, sit ultimum in executione. Unde, licet Deus in tempore conferat gloriam propter merita prius posita, non tamen vult gloriam propter merita prius volita; sed propter gloriam primo intentam vult dare merita ut media ad illam, sicut vult, ut in tempore media præcederent, & propter illa tanquam propter dispositiones dignificantes personam conferretur gloria: sicut gloria, quæ est prima in intentione Dei prædestinatam, est ultima in tempore in ordine executionis.

Instat Tournellius. An non quædam veluti pugna, & contradictio in Deo videtur, si velle gloriam gratis simul destinare, & eandem tanquam mercedem, & præmium rependere? Nonne pugnat, rem eandem simul, & eodem instanti rationis, & ex pura misericordia, & ex justitia destinari? R. Nullam hic esse pugnam, aut contradictionem nisi in mente Tournellii, qui non distinguit inter gratis velle dare gloriam, & velle dare gloriam gratis. Deus gratis, & non propter merita vult dare gloriam, non tamen vult dare nisi per merita, & propter merita, & hæc nullatenus inter se pugnant, ut patet ex dictis.

Urget Tournellius. Decretum, quo Deus intenderet ab æterno conferre gloriam gratis, hæc dubie absolutum foret, & efficax: ergo vi hujus decreti gloria gratis concedenda esset, alioquin Deus decerneret, quod non exequeretur, ut exequeretur quod ab æterno non decerneret, atque aliud in executione præstaret, aliud verò in intentione decerneret; quæ certè invicem pugnant videntur. R. Eadem semper chorda aberrat Tournellius. Nos non dicimus, Deum intendere ab æterno conferre gloriam gratis; sed dicimus, Deum ab æterno gratis intendere conferre gloriam per merita, & propter merita, & hoc exequitur in tempore.

**O**bj. 3. Tournellius: Voluntas generalis, & antecedens salvandi omnes stare, aut conciliari non potest cum efficaci, & absoluta voluntate salvandi aliquos ante omnem meritorum gratiæ prævisionem: ergo. Prob. Ant. 1. Quia voluntas illa Dei generalis pro salute omnium est conditionata, si nempe homines gratiæ obtemperare voluerint, & mandata servare; atque in eo omnes homines sunt pares: discretio igitur, & separatio non fit nisi post prævisum bonum, vel malum gratiarum usum. 2. Supposita prædestinatione efficaci aliquorum ante merita, qui non sunt ita prædestinati, sunt negativè reprobati, qui coherere non potest illa reprobatio negativa aliquorum cum voluntate sincera illis salvandi: ergo. Prob. Min. Ejusmodi delectis, & negativè reprobatis, vel Deus auxilia sufficientia ad salutem largitur, vel non; si prius ad quid, quæso, illa auxilia pro assequenda salute, a qua jam sunt exclusi, & ad quam pervenire nunquam possunt? Si posterius, cujus utilitatis erit ipsis hæc Dei sterilis, & otiosa voluntas? R. N. Ant. ad 1. ejus Prob. dico, eam falso nisi supposito, nimirum voluntatem Dei antecedentem pro salute omnium esse conditionatam hoc sensu, si velint, voluntate scilicet, quam expectat ab innata eorum voluntate. Hanc opinionem Molianus abundè refutavit Dissert. de voluntate Dei art. 6. §. 2. Conclus. 3. Sed hoc sensu hæc antecedens voluntas dicitur conditionata, quod Deus velit omnes salvos fieri, si non obstant aliores fines, quos attendere debet provisor universalis. Vide Loc. cit. Ad 2. Prob. N. Min. Ad Prob. C. Deum illis non electis conferre auxilia sufficientia ad salutem, & N. ea esse inutilia, si quidem dent illis veram potentiam bene operandi, & salutem consequendi, eamque de facto consequerentur, si iis auxiliis sua culpa non resisterent; adeoque falsum est, eos absolute ad salutem pervenire non posse, sicut falsum est prædestinationem damnari non posse: non enim ista sunt incompossibilia, inquit S. D. (*Quæst. 23. de verit. art. 5.*) Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur.

**O**bj. 4. Tournellius. Promissiones Dei vite æternæ sub conditionatæ, hæc quippè conditionem tacitam, vel expressam semper includunt, si mandata observentur: *Quasi verò*, ait Concil. Trid. Sess. 6. can. 20. *Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vite æternæ sine conditione observationis mandatorum*: ergo etiam ipsa voluntas, qua Deus nobis vult vitam æternam, est conditionata. Pater Conseq. sicut enim promissio est signum voluntatis: ita promissio conditionata est signum voluntatis conditionatæ. Subsumo: atqui absurdum videtur id sub conditione promittere, quod voluntate ac decreto absolute fieri jam debet: ergo. R. 1. Hujusmodi promissiones referri ad voluntatem Dei generalem, & antecedentem de salute omnium non enim solis Electis, sed omnibus dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; sicut inde sequitur dumtaxat, voluntatem antecedentem esse conditionatam, ar non præter eam non dari aliam specialem erga Electos absolutam, & efficacem. R. 2. Esto, promissiones conditionatas referri ad prædestinationem; ipsa etiam est conditionata, non ex parte intentionis,

nis, sed ex parte executionis. Quamvis enim sit absoluta, & gratuita intentio dandi gloriam, non tamen dandi simpliciter & gratuito, sed dandi propter merita, sicut in executione dependenter a meritis tanquam a conditione; quam tamen conditionem ipsa præstat conferendo merita, non autem eam emendicat a consensu gratiæ versatili, ut vult Tournellius cum Molianis. Neque est absurdum promittere sub conditione, quod decreto absolute fieri debet, si istud decretum relinquat plenam libertatem faciendi, vel non faciendi.

**O**bj. 5. Tournellius. Merita Christi debent prius videri ut applicata, quam fiat Electorum prædestinatio, scilicet merita Christi sunt fundamentum, & causa meritoria nostre salutis: *Eligit nos in ipso ante mundi constitutionem* ad Ephes. 1. ut vero merita Christi sunt fundamentum nostre prædestinationis, necesse est ea nobis applicari; quatenus autem nobis applicentur, & fructum salutiferum ex his percipimus, bona in nobis producunt opera meritoria vite æternæ; ergo intuitu illorum Christi meritum, quæ nobis applicantur, non tantum nobis datur gloria, sed etiam docerunt, ac destinantur ab æterno. R. quod vergat istud Tournellii argumentum, vix capio. Si tantum concludat, prædestinationem nostram fieri intuitu meritorum Christi, lubens annuo: si inde inferat: ergo non est gratuita R. respectu Christi, C. respectu nostri, N. ino; licet sit ex meritis Christi, non impedit, quin sit absolute gratuita & ex sola Dei bonitate; quia, quod Christus aliquibus mereuit, & voluerit efficaciter salutem, id erat ex Dei voluntate movente & dirigente humanam Christi voluntatem: unde prædestinatione Sanctorum est semper referenda ad Dei voluntatem. Si vero intendant merita Christi, hoc ipso quo nobis applicantur, producere in nobis opera meritoria salutis, & intuitu istorum operum nos prædestinari, N. & insto in infante moriente post Baptismum, cui merita Christi applicantur; nec tamen in eo producunt opera meritoria vite æternæ. Igitur merita Christi nobis applicantur, cum coram intuitu nobis conferuntur, quæ nobis mereuit: meruit autem nobis Christus gloriam & gratiam. Primum nobis applicatur, cum Deus ejus intuitu nos eligit ad gloriam; secundum, cum nobis ejus intuitu confert gratiam, per quam opera meritoria efficiamus, quibus gloriam consequimur. Hic sicut Doctor Parisiensis.

Posset insuper opponi, quod, qui intendit finem, per opera alterius liberè ponenda obtinendum, non possit ipsum finem intendere efficaciter nisi præstitis illis operibus: sed id & quædam alia præoccupamus relutando responsiones adversariorum ad 1. rationem fundamentalem 2. Conclusionis.

## §. V. Solvuntur Objectiones ab inconvenientibus.

**O**bj. Prædestinatio ante prævisa merita, quæ sit de se efficax & infallibilis; 1. Inducit fatalem necessitatem, libertatis eversivam. 2. Non satis consulti aedificationi & consolationi fidelium. 3. Reddit homines segnes in negotio salutis: tollit necessitatem bonorum operum, orationum, correptionum, exhortationum, uno verbo, curam & sollicitudinem salutis. 4. Non coheret cum voluntate sincera salvandi omnes homines. 5. Non satis congruit suavitati divinæ providentiæ & bonitatis Dei. 6. Reddit promissiones & minas Dei vanas & illusorias. 7. Ipsum facit acceptorem personarum. 8. Inducit in errores Prædestinatorum.

Primum Inconveniens Prob. Prædestinatio absoluta ex se efficax, certa & infallibilis ad gloriam ante prævisa merita, qualem docent Thomistæ, antecedit libertatem nostram, & necessario inter ista bona opera, sine quibus perici non potest, nam, si committerentur libero arbitrio, possent deficere per arbitrii libertatem, sicut non esset ex se efficax, certa, & infallibilis: ergo non remanet locus libertati hominis, neque circa finem suum, qui ipsi immobiliter præfixus est, neque circa media, quæ necessario sequi debent ex infallibili destinatione finis.

Secundum Inconveniens Prob. Si Deus ante prævisa merita paucos eligat, & pene innumeris relinquat; quis ad hanc terribilem sententiam non turbetur, atteratur, despondeat animum, & in torporem non inducatur, merito præsumens se potius esse in magno numero reprobatorum, quam in parvo prædestinatorum. E contra, si audiatur prædestinationem non fieri nisi post prævisa merita, & expectare liberum arbitrium, esse in potestate & voluntate sua, ut sit de numero salvandorum, tandem sortem suam sic ab eo pendere, ut per consensum gratiæ versatilis posset illam asserere, sedatur animus respiciens salutem suam, non ut incertam, ut in priori opinione, sed in manu sua positam, gaudet & alacris fit ad bona opera, quibus tantum beneficium assequatur. Hæc ratione, Lessius dicit, se potissimum fuisse motum ad hanc sententiam amplectendam.

Tertium Inconveniens Prob. Posita prædestinatione ante *Theol. Billuart. Pars Prima.*

prævisa merita, cuiusque animus statim subit hoc dilemma: vel sum prædestinatus, vel non sum. Si primum, quidquid egero, etiamsi de salute mea nihil sim sollicitus, infallibiliter salvabor. Si secundum, quidquid egero, etiamsi omnes conatus, omnem sollicitudinem adhibeam, infallibiliter non salvabor. Igitur sic superfluum bona opera, orationes, exhortationes, correptiones, sollicitudo, &c. ut non noceant mala opera & salutis incuria. Quid ergo superest, nisi ut agam, quod lubet, & fruor bonis?

Quartum Inconveniens Prob. Quia non videtur posse stare voluntas sincera salvandi omnes cum voluntate efficaci ante prævisa merita, vel demerita aliquos tantum salvandi, & alios relinquenti; ad quid enim deservit illa tam pia, tam benigna voluntas omnes salvandi, si statim occulto mysterio, nullis prævisis meritis, vel demeritis, me relinquit & alterum assumit: certe ludere videtur sic amans, aut illudere.

Quintum Inconveniens Prob. Bonitas divinæ providentiæ exigit, ut omnibus necessaria ad salutem provideat, omnium curam sincerè gerat, nec ullum deserat, nisi ab eo deseratur, ut indicat Scriptura: *Nullo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur: suavis Dominus universis: ipsi cura est æqualiter de omnibus: vult omnes salvos fieri, &c.* Atqui non ita se haberet, si independentem a prævisis meritis vel demeritis aliquos assumeret, alios relinqueret. Insuper, cum tanta sit Dei bonitas erga omnes, si ejus solo nutu dependeret eorum salus, non tam foret exiguus numerus salvandorum; pendet ergo ex aliquo ex parte nostri; cujus defectu accidit tam paucos salvari, scilicet ex eo quod pauci consentiant gratiæ, & in ea perseverent.

Sextum Inconveniens Prob. Posita prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita, Deus illudit reprobis, & vana spe eos lactat, dum ipsis promittit gloriam sub conditione perseverantiae in bono, quæ ab ipso dependet, & quam non vult eis dare. Item illudit electis, & vano metu eos terret, dum minatur illos excludere a regno, si non perseverent in bono, cum & regnum & perseverantiam decreto immutabili & infallibili dare sternerit. Quid enim vult eos timere? Ne damentur? Id stare non posset, cum prædestinatio non revocetur: Est irrevocabilis.

Septimum Inconveniens Prob. Tunc committitur acceptio personarum, quando æqualibus inæqualia dantur; quod faceret Deus, si independentem a prævisis meritis, quosdam assumeret ad gloriam, & alios relinqueret.

Octavum Inconveniens Prob. Prædestinatiani, quos temporibus nostris resuscitarunt Lutherani & Calvinistæ, rejiciebant prædestinationem post prævisa merita ut semi-Pelagianorum errorem, & defendebant prædestinationem gratuitam ut Augustini doctrinam, sicut nunc faciunt Thomistæ. Ergo sententia prædestinationis gratuite inducit in errorem Prædestinatorum.

Ad hæc omnia duplicem generalem responsionem præmittunt nostri Thomistæ. Prima est mysteria fidei nostræ, in quorum numero reponenda est prædestinatio, non esse artemenda ex rationculis mentis humanæ, sed ex revelatione divina, cui submitti debet ratio. Quapropter explicanda est prædestinatio eo modo, qui magis congruit Scripturæ sacre, & Traditioni. Quod si quædam objiciat ratio, explicanda sunt; quod si non ita clare fieri potest, id non rebus; sed nostræ tarditati impunitandum. Unde, si prædestinationis gratuite concordiam cum aliis certis, puta cum arbitrii libertate, satis capere non possemus; firmiter tamen tenendum foret hæc inter se neci, sed nexum esse nobis impervium; exemplo Apostoli, qui, cum prædestinationem gratuitam aperte docuisset, & objecisset sibi, quæ hic nobis objiciuntur, non tamen eam ideo emendat, aut emollit, sed recurrit ad inscrutabilia Dei judicia, & objicientem admonet suæ tenuitatis: *o homo! tu quis es qui respondes Deo?*

Secunda responsio generalis est, hæc omnia fermè inconvenientia fuisse objecta Aug. a semi-Pelagianis; unde inferunt, eandem esse Aug. & Thomistarum doctrinam, quæ easdem patitur difficultates, nec propter eas esse recedendum a sententia prædestinationis gratuite, quam, his non obstantibus, usque ad mortem defendit Aug. His præmissis, R. ad singula.

Ad 1. R. sub prædestinationis decreto manere juxta Thomistas plenam in homine libertatem, tam circa finem, scilicet gloriam, quam sibi liberis actibus eligere potest, aut ab ea recedere, quam circa bona opera, quæ itidem tacere potest, aut omittere; quia, quamvis utrumque decretum anteverat voluntates nostras, & sit ex se infallibiliter efficax, non tamen solam efficaciter attingit substantiam actus, ut toties diximus ex S. Thom. sed etiam modum klus & causarum, per quas efficitur; ita ut sub prædestinatione effectus eveniant, & causæ secundæ perinde agant contingenter & liberè, ac si non esset prædestinatio. Et cum dicitur non fore certam, si opera bon-

committerentur libero arbitrio, verum est de libero arbitrio sibi relicto, non vero de libero arbitrio sub directione primæ & universalis causæ. Hoc argumentum de lesione libertatis usque ad ultimas fibras reseratur & solum require Dissert. præcedenti art. 4. §. 2. Et nota, quod ex hac præposita intelligentia prædestinationis gratuite, quam sibi fingunt adversarii, oriatur plura ex inconvenientibus, quæ obijciuntur.

Ad 2. R. 1. hoc inconveniens pariter militat contra systema Congruistarum. Quis enim non turbetur & ætæretur, si audiat Deum pro suo nutu paucis dare gratiam congruam, cum qua certò in bono perseverabunt; & sine qua non perseverarent, alii autem penè innumeris denegare.

Ad 2. Sententiam nostram esse longè aptiorem adificationi & consolationi fidelium, quam sententiam Lessii & Molinæ. Quia, juxta nos, salus nostra omnipotentis Dei manui; juxta Lessium & Molinam fragilitati nostræ committitur. Quis autem non magis fidat Deo, quam sibi ipsi, si non sit superbus, sed humilis & infirmitatis suæ conscius; nemo enim nescit, teste Scriptura & propria experientia, se, quantumvis sit justus, habere in fomitem cupiditatis & concupiscentiæ, cui si tantisper permittatur, se subducet inclinationi gratiæ, & cadet. *Sensus & cogitatio humani cordis*, inquit Scriptura Gen. 8. *in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et Apost. ad Rom. 7. *dicit de seipso: scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum: Et: video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati.* Unde Aug. libr. de corr. & grat. c. 12. dicit, quod, *si homini relinquatur voluntas sua ut in adiutorio Dei, sine quo (id est, suffragio) perseverare non posset, maneret si vellent, nec Deus operaretur ut vellet, inter tot ac tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumbet.* Si ergo, inquam, vir Christianus verè humilis, & fragilitatis suæ bene conscius, inter tot & tanta vite pericula ac tentationes, tot sanæ fraudes & passionum insultus, audiat Deum in negotio salutis periculi ipsi præparasse quadam auxilia indifferentia, humano sic permissa arbitrio, at eorum usum nemini det, sed a nobis spectet, nonne statim animum despondebit, & de sua salute desperabit? E contra, si audiat Deum aliquos elegerisse ad gloriam, & pro ea infallibiliter consequenda eis præparasse fortissima & invictissima auxilia, jam spes affugebit se obtenturum per Dei auxilium, quod sua infirmitate non obtinisset: si Deus auxilia tantum indifferentia præparasset; & eo firmior erit ejus spes, quo de se humiliter sentiet & magis diffidet, atque in Domino magis confidet, sciens quod Deus populum humilem salvum faciet: & sperantem in Domino misericordia circumdabit. Et quamvis, his non obstantibus, non sit adhuc omnino certus de voluntate Dei, est tamen longè magis incertus de sua voluntate. Neque eum terret parvus numerus electorum, quia probe novit, quod, si homines sibi permitterentur, longè adhuc pauciores forent electi, imò nullus foret. Tota hæc solutio est Aug. simili objectioni sibi facte a persev. c. 17. *Ego, inquit, nolo placet illud audire de dono persev. c. 17. Ego, inquit, nolo exaggerare verbis meis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicatione prædeterminationis audientibus plus desperationis, quam exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam, non in seipso, sed in Deo didicerit ponere: Cum Propheta clamat, maledictus omnis, qui spem habet in homine. Et de prædest. SS. c. 11. Cum Apostolus dicat, ut secundum gratiam firmam sit promissio: *Miror homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei.* Sed incerta est mihi, inquit, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tunc tibi voluntas de seipso certior est; nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori potius, quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit; Et c. 6. de dono persev. *Tuiores vivimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, et nobis ex parte committimus.**

Ad 3. quod est argumentum proprium Libertinorum contra prædestinationem ut sic, & Massiliensium contra prædestinationem gratuitam, quam defendebat Aug. Dicebant enim in Epist. Prosperi ad Aug. *Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si divina constitutio humanas prævenit voluntates, quodque ad nauseam contra nos regerunt adversarii, sicut semi-Pelagiani contra Aug. jam respondi supra multipliciter: & iterum nunc semel pro semper.*

R. 1. Si quid valeat hoc argumentum, nimis probare; utique probare, non dari in Deo præscientiam infallibilem, quam tamen admittit adversarii; & quam non negarunt Gemiles, consequenter esse in omni sententia solvendum. Nam, admissa Dei præscientia, quisque potest pariter formare hoc dilemma: vel Deus sit me fore salvandum, vel non: si primum, quidquid egero, salvabor; si secundum, quidquid egero, non salvabor: ergo quietus agam, quod lubet. Sic Aug. argumentum

retorquebat contra Massilienses idem ipsi obijcentes: *Ista cum dicuntur, inquit, de dono persev. c. 15. ita nos a confidenda Dei vera gratia, id est, que non secundum merita nostra datur & a confidenda secundum eam prædestinatione sanctorum, deterrere non debent: sicut non deterrere a confidenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur ut dicat: Sive nunc rectè violatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos futuros esse præscit, vel boni, si boni; vel mali, si malos. Imò abstracto a comparatione cum præscientia Dei, urget argumentum in sententia tum Congruistarum, tum Molinæ & Lessii. In sententia Congruistarum specialiter: vel Deus decrevit mihi dare gratiam congruam salutis, vel non: si primum, infallibiliter salvabor, si secundum, infallibiliter non salvabor. In sententia Lessii & omnium: certo certius est, saltem nunc esse factam prædestinationem, quovis modo facta sit: igitur vel sum prædestinatus: vel non, si primum, infallibiliter salvabor; si secundum, infallibiliter non salvabor: quia quovis modo facta sit prædestinatio est certa & infallibilis: neque refert, quod in sententia nostra infallibilis ex efficacia voluntatis divine, & in sententia Lessii ex præcientia, hoc ipso enim, quod est infallibilis, quovis modo sit, sufficit, ut locum habeat argumentum, si alibi valeat.*

R. 2. Istud inconveniens nullatenus sequi ex prædestinatione gratuita ad gloriam; quia non est tantum prædestinatio ad finem, sed etiam ad media, quibus obtineri potest & debet: ista autem media sunt cura, & sollicitudo salutis, fuga mali, & praxis bonorum operum. Tantum abest igitur, ut prædestinatio tollat necessitatem bonorum operum, exhortationum, correptionum &c. ut potius inferat sollicitudinem & curam istorum omnium, quibus prædestinatio in executione debet perfici, & sine quibus non perferretur: sicut, quia Deus prædestinatio futuram messem prædestinat simul culturam agrum, incumbit agricolæ cura & sollicitudo bene colendi agrum, ut messem obtineat; & insulsus ab omnibus haberetur, si diceret vel Deus decrevit futuram messem, vel non: si primum, etsi non colam agrum, nec seram, erit messis; si secundum, etsi colam agrum & seram, non erit messis; ergo otiosus manebat. Alia circa hæc solutiones require supra art. 3. hujus Dissert. ubi etiam habet scrupulum Tournelli resolutum.

Ad 4. R. Esse solvendum a Congruistis: quomodo potest stare voluntas sincera salvandi omnes cum voluntate independentè a meritis vel demeritis, denegandi pluribus gratiam congruam; sine qua nunquam salvabuntur?

R. 2. Hanc utramque voluntatem Dei pietati & providentiæ generali convenire, & simul inter se optime coherere. Convenit namque pietati & bonitati Dei tanquam optimi Patris, ut omnibus creaturis intellectualibus qua talibus velit suum ultimum finem, qui est visio beata; & hæc est pia & sincera voluntas omnes salvandi. At, quia hæc creatura intellectualis aliunde est defectibilis, convenit provisorii universali, ut permittat aliquando labi & deficere: hoc enim ad conditionem nature defectibilis spectat, ut aliquando deficiat, & ad divinam providentiam, ut non destruat, sed servet modum agendi creaturarum: idque requiritur, non solum ad bonum & pulchritudinem Universi; sed ut detur locus justitiæ in vindicta delictorum, elucescat misericordia in preservatione electorum, omnibus appareat, quam gratuitus, quam sublimis sit ille finis, quam Deo proprius, humilibus pervius, & superbis impervius, & præter alios fines ipsi notos. Nihil ergo minus sincerum, nihil repugnans est in his duabus voluntatibus. Et hinc

Ad 5. patet responsio: pertinet enim ad suavitatem divinæ providentiæ, ut unicuique provideat juxta ejusque conditionem, proindeque ut ex rebus defectibilibus quasdam permittat deficere, alias præservet a defectu; ut in his appareat virtus gratiæ, in illis conditio nature. Siquæ respondent adversarii, dum ab ipsis queritur, cur Deus permittat peccatum, cum posset illud impedire? Quia, inquit, sic fert suavitas Providentiæ, ut liberi arbitrii conditio servetur.

Ad id quod additur, quod, cum Deus sit infinite bonus, si salus nostra ex ejus solo nutu penderet, non tam foret exiguus numerus salvandorum. R. N. sequelam; quia, licet Deus, sit infinite bonus, ejus tamen bonitatis effusio sic temperari debet, ut servetur conditio nature defectibilis, detur locus justitiæ, alia attributa manifestentur, & salventur ceteri fines providentiæ generalis, ut dicitur est. Unde, quod non omnes, aut non plures salvet, non derogat divinæ bonitati, sed indicat ordinatam esse bonitatem. Et ita iterum respondere tenentur adversarii; certum est enim omnia sententia, quod Deus posset omnes salvare; quod si non faciat, non ipse causa est, sed aliquis defectus ex parte nostra, quem quidem posset auferre; sed quem ut auferat, non exigit sententissima & ordinatissima ejus bonitas. Adde, quod in sententia adversariorum, juxta quam Deus non præparat nobis nisi auxilia sufficientia, sic permissa libero arbitrio ut non dent, sed expectent

ejus

## ARTICULUS VI.

## De effectibus Prædestinationis.

ejus consensum, non solum pauciores, sed nulli forent salvandi, ut patet ex Resp. ad 2. inconveniens. In hoc autem juxta nos maxime relictæ divina bonitas, quod iis, quos elegit, fortissima, & invictissima conferat auxilia, quibus certissime perducantur ad salutem.

Ad 6. R. 1. Istud inconveniens pariter esse solvendum & a Congruistis, & a puris Molinistis. A Congruistis; quia, supposito quod Deus decreverit dare uni gratiam congruam perseverantiæ finalis, & non alteri, primo asserta est assecutio gloriæ, alteri asserta est exclusio a gloria. Illud ergo primo, dum minatur excludere a regno, si non observet mandata; illud alteri, dum ipsi promittit regnum, si usque ad finem servet mandata, cum sciat certò, & illum certò servaturum, & istum certò non servaturum finaliter mandata. A puris Molinistis; quia, ut dictum est, certò nunc facta est prædestinatio, quovis modo facta fuerit, & qui sunt prædestinati, certò salvabuntur; qui non sunt, certò non salvabuntur. Illud ergo Deus prædestinatis, dum minatur eos excludere a regno, si non perseverent in bono; cum certum sit, & infallibile, prædestinatos perseveraturos, & reprobos non perseveraturos.

R. 2. Hoc inconveniens nullatenus sequi ex prædestinatione gratuita, si supponatur, ut res est, 1. Neminem esse certum se esse de numero prædestinatorum. 2. Prædestinationem in executione pendere a liberis, & bonis operibus, atque perseverantia in illis usque ad finem. 3. Hominem sub prædestinatione gratuita æque gaudere libertate ad bonum, vel malum, ac si non esset prædestinatus, ut modò dicam, & alibi pluries probavimus. 4. Humilibus, & de se deficientibus, in Domino autem confidentibus, concedi regnum; superbis, & in se confidentibus denegari. His, inquam, suppositis, neque Deus illud reprobis suis promissionibus, neque electis suis minis. Non reprobis promittendo eis regnum sub conditione bonorum operum, quia possunt illa bona opera facere; scit quidem eos illa non facturos, sed sua culpa, & quia his promissionibus, & variis gratis voluntariè resistunt; nec ob id Deus debet deesse muneris provisorii universali, cujus est omnes & minis, & promissionibus, & aliis modis ad bonum incitare. Possent quidem eorum resistantiam sua gratia efficax frangere; sed eam nemini debet, neque id exigit ordo providentiæ. Nunquid juxta adversarios, & præsentim Tournellum in pluribus locis, Deus habet in thesauris suis gratias, quibus frangit omnium peccatorum frangere potest? quare non frangit? quia nec placet, nec tenetur. Neque electis illud minando eos a regno excludere, si bona opera non faciant, quæ executio prædestinationis non fit nisi per bona opera, & ea sic electi liberè faciunt, ut possent non facere. Nam ergo timent ne pereant, si sint prædestinati, neque ne revocetur prædestinatio; sed timent, ne non sint de numero prædestinatorum, quia hoc illis incertum est; & ex eadem incertitudine timent, ne cadant, & pereant. Adde, hunc timorem utiliter ipsis a Deo incuti, ut sint humiliores, & per hoc eorum prædestinatio certò impleatur.

Ad 7. Respondet Christus Matth. 20. *An non licet mihi, quod volo facere? Respondet Apost. ad Rom. 9. Numquid iniquitas apud Deum? O homo! tu quis es, qui respondens Deo? an non habet potestatem signis facere illud vas in honorem, aliud in contumeliam? Respondet Aug. in Ps. 84. Quid ergo non audeat reprehendere in officina figulorum, et audeat reprehendere in mundo Deum? Respondet tandem Doctor Angelicus (Hic q. 23. art. 5. ad 3.) acceptionem personarum, quæ secundum se importat injustitiam, non committit, nisi quando id, quod uni præ altero aequali datur, debetur ex justitia; non vero si ex gratia, & mera liberalitate datur, qualis est gloria. Et hoc est, quod dicit paterfamilias Matth. 20. *Tolle quod tuum est, & vade: An non licet mihi quod volo facere? Adde hoc argumentum currere contra Congruistas, qui docent Deum æqualibus conferre diversas gratias, uni gratiam congruam, alteri incongruam.**

Ad 8. An V. sæculo extiterint hæretici dicit Prædestinationem, controvertitur inter Eruditos. Sed, quidquid sit de ista questione historica, de qua infra in digressionem speciali, certò constat prædestinationem gratuitam toto celo ab hæresi distare. Nam hæc hæresis juxta ipsos Auctores, qui eam existisse contendunt, docet: 1. Deum non minus ad malum culpæ, quam ad malum poenæ prædestinare. 2. Prædestinationem induci fatum, seu necessitatem, quæcum non staret libertas; quæ duo detestantur defensores gratiæ prædestinationis.

Petes pro coronide, utrum prædestinatio Angelorum sit etiam gratuita? R. affirmativè. Est specialiter contra Jansenium; qui, cum in statu nature lapsæ accedit ad Calvinismum, in statu nature innocentis fit purus Molinista; imò fermè semi-Pelagianus. Prob. autem responsio iis ferè omnibus momentis ab auctoritate, & a ratione, quibus probavimus prædestinationem gratuitam hominum in statu nature lapsæ. Sed de hoc latius alibi.

Theol. Billuart. Pars Prima.

Per effectum prædestinationis intelligimus quidquid fit a Deo ex intentione efficaci salvandi aliquos præ aliis. Unde tres conditiones requiruntur ad hoc, ut aliquid sit effectus prædestinationis: 1. ut causetur a Deo; quia, cum prædestinatio, & ejus executio sint a Deo, ita & ejus effectus: 2. ut sit ex intentione efficaci salvandi; quia intentio efficaci salvandi est causa mediorum, quæ assumuntur ad illum finem assequendum: 3. quod conducatur certò ad vitam æternam; quia intentio efficaci Dei, ex qua oritur, non potest frustrari. Et quia hic agimus de prædestinatione hominum in statu nature lapsæ, debet addi 4. conditio, nempe quod sit ex meritis Christi: *Non enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4.

Triplex autem generis excogitari possunt effectus prædestinationis: alii supernaturales, ut vocatio, justificatio: alii naturales, ut substantia ipsa prædestinati, bona indoles, & similia, tandem permissio peccati. De his omnibus hic breviter per distinctos §§. agendum.

## §. 1. Utrum vocatio, justificatio, &amp; glorificatio, item &amp; bonus usus gratiæ sint effectus Prædestinationis?

Deo 1. Vocatio efficaci, justificatio non interrupta, & glorificatio, seu gloriæ adeptio sunt effectus prædestinationis. Ità Apost. ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

Prob. Quia in his reperiuntur conditiones requisitæ ad effectum prædestinationis. Sunt namque 1. a Deo. 2. Sunt ex meritis Christi. 3. Sunt ex intentione efficaci salvandi. 4. Conducunt efficaciter ad gloriam. Et quamvis vocatio efficaci sit communis multis reprobis, non est tamen cum ordine efficaci ad gloriæ consecutionem, ut est in prædestinatis. Neque refert, quod gloria sit finis prædestinationis; est quippe finis in intentione, effectus autem in executione, non quidem immediatè, sed mediatè; quia prædestinatio immediatè est de mediis, & per media de adeptione finis, seu gloriæ. Per vocationem intelligimus, non solum gratias internas, sed etiam externas, ut sunt predicationes, exhortationes, correptiones, miracula, exempla, & omnia, quibus homo disponitur, ut Deo internè vocantii respondeat.

Dico 2. Vocatio inefficax, & justificatio, seu gratia interrupta per peccatum sunt etiam in prædestinatis effectus prædestinationis.

Prob. Quia hæc in prædestinatis suo modo immediatè, vel mediatè conferunt ad salutem. Et quantum ad vocationem inefficacem, seu gratiam sufficientem tantum, patet; quia, licet effectum principaliter intentum nempe conversionem de facto non obtineat, ad eam tamen disponit; non enim Deus omnes subito convertit, ut S. Paulum, sed paulatim variis inspirationibus, & motionibus cor emollit, ut tandem Deo vocantii respondeat. Insuper habet hunc effectum, ut peccator postea conversus agnoscat magnam Dei erga se misericordiam, quæ ingratum, & contumacem non deseruit; ex quo dolor, gratitudo, & amor magis intenduntur.

Quantum ad gratiam interruptam, non solum ut recuperatam per penitentiam, de qua non est difficultas; sed etiam ut i. collatam, patet: Quia ex illa i. collata prædestinatus habet jus ad gloriam, quod licet interrumpatur per peccatum, non tamen omnino perit; sed manet moraliter in acceptatione divinæ, & remoto peccato per penitentiam reviviscit; ita ut, licet reparatio per penitentiam sit conditio sine qua non, tamen non est ratio formalis illius juris, sed ipsa gratia ut i. collata, ideòque illi correspondet, & datur specialis gradus gloriæ, aut idem novo titulo. De quo in tract. de penitentia, ubi de reviviscencia meritorum. Et hinc solvitur, quod opponi solet, hæc etiam convenire reprobis; id enim proprium habent in prædestinatis, quod de facto conferant ad gloriam, eaque intentione a Deo illis conferuntur; qua ratione sunt effectus prædestinationis.

Dico 3. (Hic q. 23. a. 5. o. & q. 6. de verit. a. 2. ad 11. ad Rom. 9. Lect.) Bonus usus gratiæ, & omnia merita indè procedentia in prædestinatis sunt effectus prædestinationis.

Hæc conclusio est contra Molinam hic q. 23. art. 5. disp. 1. membro 10. Ubi, etsi concedat actus supernaturales esse effectus prædestinationis, non tamen quatenus sunt liberi, seu quatenus procedunt a libero arbitrio; quia, juxta ipsum, liberum arbitrium per innatam suam virtutem influat proximè in actum supernaturalem, consequenter negat determinationem

Bb 2

vo-